Salua me ex ore leonis: et a cornibus unicornium
humilitatem meam.
Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio ecclesię
laudabo te.
Qui timetis dominum laudate eum: uniuersum semen iacob
glorificate eum.
Timeat eum omne semen israhel quoniam non spreuit neque
despexit deprecationem pauperis.
Nec auertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum
exaudiuit me.
Apud te laus mea in ecclesia magna: uota mea reddam
in conspectu timentium eum.
Edent pauperes et saturabuntur: et laudabunt dominum
qui requirunt eum: Viuent corda eorum in saeculum saeculi.
Reminiscentur et conuertentur ad dominum: uniuersi
fines terrę.
Et adorabunt in conspectu eius: uniuersę familię gentium.
Quoniam domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.
Manducauerunt et adorauerunt omnes pingues terrę: in con
spectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.
Et anima mea illi uiuet: et semen meum seruiet ipsi.
Adnuntiabitur domino generatio uentura: et adnuntiabunt
caeli iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit dominus.

PS. DOMINUS REGIT ME ET NIHIL MIHI DEERIT
in loco pascuę ibi me collocauit.